



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata**

**Hermann Werner <Paderborn, Bischof>**

**Paderbornæ, 1753**

De Benedictionibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36023**

Gloria Patri & Filio : & Spiritui sancto.

Sicut erat in Principio & nunc & semper : & in sæcula sæculorum. Amen.

- ✠. Me autem propter innocentiam suscepisti.  
 R. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.  
 ✠. Sit nomen Domini benedictum.  
 R. Ex hoc nunc & usque in sæculum.  
 ✠. Dominus vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

**O**Mnipotens & mitissime Deus, qui omnibus parvulis renatis fonte baptismatis, dum migrant à sæculo, sine ullis eorum meritis, vitam illico largiris æternam, sicut animæ hujus parvuli hodie credimus te fecisse: fac nos quæsumus Domine per intercessionem B. Mariæ semper Virginis, & omnium sanctorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiso cum Beatis parvulis perenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Deinde aspergit corpus, & circumstantes; portatores suscipiunt funus, & ordinata processione defertur ad tumulum sub cantu non lugubri, sed festivo. Tumbam in sepulcro depositam Sacerdos aspergit aqua benedicta, & cooperitur sepulchrum, quo cooperto, canitur.



Be ne di ci te Do minum om nes e lecti ejus,



a gi te di es læ ti ti æ, & confite mini il li.

Sac. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis suis.

✠. Dominus vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

**D**Eus qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumq; dispensas: concede propitius, ut à quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Deinde sine exhortatione, petantur preces pro defunctis ex cognatione pueri, & pro aliis defunctis, postremò pro eo qui primò ex astantibus moriturus est, ut in gratia discedat, & sic sepultura finiatur.

Notandum tamen, ut pueri post prandium sepeliantur.

### De Benedictionibus.

**N**E Sacerdotes in benedictionibus usurpandis errent, easq; quæ Episcopis conveniunt, frivole arripiant, placuit solas eas hic ponere, quæ ex usu Ecclesiæ Sacerdotibus conceduntur.

Stando semper & aperto capite Sacerdos benedicat, utaturq; extra missam semper stola pro varietate temporis, & superpelliceo.

Esculenta, & similia super altare non ponat, sed super mensam ad id paratam. In principio cujusvis benedictionis dicat.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum & terram.

In fine benedictionis rem benedictam aspergit aqua benedicta, & ubi notatum fuerit, pariter incensat.

*Ordo faciendi Aquam benedictam.*

Diebus dominicis vel alias ubi opus fuerit paretur Sal, & aqua munda. Sacerdos super pelliceo & stola violacea indutus dicit.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, Qui fecit coelum & terram.

*Exorcismus Salis.*

**E**Xorcizo te creatura Salis, per Deum **†**vivum, per Deum **†**verum, per Deum **†**Sanctum, per Deum qui te per Elifæum Prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus fumentibus te, sanitas animæ & corporis: & effugiat atq; discedat, à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisq; Spiritus immundus, adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.

*Oremus.*

**I**mmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene **†**dicere & sancti **†**ficare tua pietate digneris, ut sit omnibus fumentibus salus mentis & corporis, & quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omniq; impugnatione spiritualis nequitia. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

*Exorcismus aquæ.*

**E**Xorcizo te, creatura aquæ, In nomine Dei **†**Patris omnipotentis, & in nomine Jesu **†**Christi filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritus sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas, cum Angelis suis apostolicis: per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.

*Oremus.*

**D**eus, qui ad salutem humani generis maxima quæq; Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationi nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuam bene **†**dictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos demones, morbosq; pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum, ut, quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda resperferit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic resideat Spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & siquid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti: aspersione hujus aquæ effugiat: ut salubritas per invocationem

nem